

minus immediate per propriam existentiam diceretur existere. Nec minus concludit ratio, quia probare conatur propria passione, ut a subiecto distinguitur, propriam correspondere existentiam quia fluxus passionis a subiecto non fit per veram, & propriam casualitatem physicam, sed per solam dimanationem Metaphysicam, quatenus subiectum si non est causa physice illius productiva, est tamen ratio cur ei conveniat, & ideo passio respectu subiecti talem existentiam non habet, quae fundare queat existentiam propriam ab existentia subiecti distinctam.

Inflat Faber loc. cit. natura communis ut homo, & equus ex parte rei sunt realia entia distincta ab entitate singulari, sed existentia est modus intrinsecus cuiuslibet entis realis positione, ergo etiam natura communis propriam debet possidere existentiam, maior, et minor passim conceduntur in nostra schola. Respondet, quod si natura communis esset entitas realiter ab individuo distincta, utique argumentum concluderet, quia quilibet entitas realiter distincta ab alia habet propriam existentiam ab existentia illius distinctam, a natura communis est eadem realis entitas cum individuo, & quia unica entitati unica correspondet existentia, ideo humanitati, & Petro unica sufficit existentia, & illa eadem existentia dicitur modus intrinsecus utriusque, quia utrumque importat unam solam entitatem, & existentiam, quoniam natura abstracta a singularitate possit adhuc concipi apta ad existendum, non tamen ut immediate, & secundum se habens talem ordinem ad esse, sed mediante individuo, in quo existit, & hic dicitur modus clarè colligitur ex Doctore 3. dist. 22. quæst. un. F. & G. ubi non tribuit esse existentia nature immediate, sed individuo. Verum adhuc tamen est quod infra dicam num. 185. oppositum quoque sententiam esse valde probabilem, & sæpe Scotum in eam inclinare, quam proinde, ut communiorum in schola nostra sumi amplexus disp. 6. de anima. quæst. 7. art. 2. ubi, & locum ex d. 4. quæst. 3. ad 2. prin. pro ea valde clarè adduxi, immo & causas in Metaphysica deum pollicens, ut re maturus considerata promissis omnino stare non potui; hoc tibi sufficit, quod oppositam non inficior, immo adeo probabilem censo, ut queat prohibito quilibet Scotista unam, vel alteram sequi.

QUESTIO V.

Antam essentia, quam existentia ex gradibus metaphysicis componantur.

177 **Q**uia tota linea prædicamentalis à summo genere ad singularia videtur scala quædam constans ex variis generibus, speciebus, & differentiis secundum sub, & supra ordinatis, quibus ascenditur ab individuâ ad supremum genus, & inde ad singularia descenditur, hinc (inquam) sumpta metaphora conceptus illi superiores, & inferiores dicuntur gradus metaphysici, quia ad Metaph. spectant compositionem. Prima sententia tam in essentia, quam in existentia graduum pluralitatem, ac diversitatem assignat, adde ut sunt rerum essentia ex variis gradibus prædicamentibus genericis, differentialibus ac individualibus coalescunt, ita quoque earum existentia; unde quod gradus essentia reperiuntur in re, totidem etiam erunt existentia, quæ opinio tribuitur Henrico quæst. 2. qu. 1. & descendit a Recentioribus quibusdam Oviæd. controvert. 2. Metaph. punct. 5. in fine, Averſa quæst. 8. sup. Philosph. sec. 8. Sequitur secundo. Alia opinio extrema tam essentiam, quam existentiam ait in indivisibili consistere: essentiam quidem quia Arist. 8. Met. 10. apertis verbis fœcivit reram essentiam in indivisibili consistere, nec graduum latitudinem habere, existentiam vero, quia si semel rei essentia tali latitudine caret, consequenter idipsum de existentia quoque affirmari debet, quia si in existentia talis latitudo daretur, non nisi ex essentia in eam re remeantur potest; ita nonnulli Recentiores. Communis, & vera sententia mediatur inter istas, & quidem in essentia agnoscit graduum Metaphysicorum pluralitatem, quos tamen negat in existentia affirmans per unicum gradum existentia totam essentiam existere; ita Scot. expressè 2. dist. 3. quæst. 3. Avenis 5. Met. tex. 7. D. Th. 2. contra gentes capit. 52. ubi Ferrar. Hervæus de unitate Formarum qu. 5. Suarez dey. 31. Metaph. sec. 11. num. 2. Albertin. tom. 2. prin. 1. Philosph. disp. 2. qu. 4. Paqualig. tom. 1. Met. disp. 8. ubi id optime probat omnibus fundamentis ex Scot. delumptis, quoniam grati animi causa eum non memoret, ut Recentiorum moris est, dum furtive ex Vereturum pœna intendunt.

178 Dicendum itaque est cum hac ultima sententia essentiam rerum equidem habere pluralitatem graduum, ex quibus componitur, & coalescit, non tamen existentiam, sed esse unicam, & simplicem rationem indivisibiliter omnes gradus essentia afficientem. Ita Doct. loc. cit. 2. d. 3. qu. 3. & quidem quoad essentiam res adeo explorata est, quod ex pluribus gradibus Metaphysicis coalescit, ut nullus remaneat ambigenus locus, videmus enim species constare ex gradu generico, & differentiali, ex gradibus superioribus, & inferioribus in linea prædicamentali coalescere, & denique definitionem, per quam rerum essentia solet exprimi constare ex genere, & differentiâ, ergo essentia creata necessario componitur ex pluribus gradibus

metaphysicis. Neque oppositum docuit Arist. loc. cit. 8. Metaph. tex. 10. immo ex illo textu distè colligitur compositio essentia ex gradibus Metaphysicis, comparatæ ad hoc declarandum essentiam quidditatis numeris, & quatuor facit comparationes, ut ibidem eleganter exponit Doct. prima est, quod sicut numerus divisionem in infinitum non recipit, sed ad indivisibiles unitates deveniendum est, ita essentia in divisione statim agnoscit primò enim in partes ipsam exprimentes dividitur, quæ sunt partes definitionis, inox in ultima differentia terminus est: quæ tertius dividi nequit; & ex hac prima comparatione clarè colligitur quo pacto essentia ex pluribus gradibus Metaphysicis componatur, & quomodo adhuc in indivisibili consistere dicatur essentia ultima differentia. Secunda comparatio est, quemadmodum si pars aliqua quantumvis modica addatur, vel subtrahatur à numero statim variatur species numeri, & addita enim unitate, quæ est minimum in numero ipsi ternario, addita enim quaternarius, & sublata fit binarius, quæ sunt alia species à numero ternario, sicut, inquam, est in numero, sic est in quidditate, & definitione rerum, nam si à substantia animata sensibili, quæ est quidditas animalis, sensibile subtrahatur, statim constituitur quidditas, & definitio plantæ, si addatur rationale, statim fit quidditas hominis; ex qua rursus comparatione liquet quomodo rerum essentia consistet ex pluribus gradibus Metaphysicis, sicut numerus constat ex pluribus unitatibus, & quo sensu in indivisibili consistere dicatur. Tertia comparatio est, quod sicut numerus non est sola unitatum aggregatio, sed præter illas unitates materiales, habet etiam unitatem formalem, quæ dicitur unitas, numerus ternarius non est sola trium unitatum aggregatio, sed præter illas tres materiales unitates habet aliam quandam unitatem formalem, quæ cum illis non ponit in numerum, sed est forma specifica consequens numerum ternarium à qua dicitur formaliter unus, ita rei essentia non consistit in sola compositione generis cum differentiâ, sicut potentia cum actu, sed ex illis dimis, iunctis tertia quedam unitas formalis oritur, à qua rei essentia dicitur per se, & formaliter una, non quidem unitate simpliciter, sed compositionis. Ex hac comparatione iterum constat quomodo rerum essentia ex gradibus Metaphysicis componatur, & solum dicit posse in indivisibili consistere, quatenus ex compositione illorum graduum fit per se unum, & non aggregatum per accidens. Quarta tandem comparatio est, quod sicut numerus non suscipit magis, & minus, ita nec rei essentia, quia non magis participatur humanitas v. g. à Petro, quam à Paulo, quia secundum omnia sua prædicata quidditativa ita reperitur in uno individuo, sicut in alio, quæ quidem indivisibilitatis non excludit compositionem ex gradibus Metaphysicis.

179 Quod autem existentia non habeat graduum pluralitatem, sicut habet essentia, sed sit simplex quædam actualitas indivisibiliter afficiens omnes, & singulos ipsius essentia gradus tradit expressè Doct. loc. cit. ait enim ibi, quod existentia est natura sua posterior tota essentia, & quoad omnes gradus suos, & in hoc sensu inquit, quod est actus ultimus posterior tota coordinatione prædicamentali ex gradibus essentialibus contexta, & quod adæquate concipere possumus essentiam quoad omnes gradus suos etiam individuales ab hoc eo, quod concipiamus existentiam, quia hic homo (ait Doct.) non plus includit formaliter existentiam a dualiam, quam homo; si ergo existentia ita se habet ad essentiam, ut à toto genere, illam supponat completam, & integram in ordine suo, planè nequiret existentia immediate afficere aliquem gradum antecedenter ad infinitum, itatè prius concipiat animal existens, aut homo existens, quam hic homo existens, patet consequentia, quia in serie formalitatum, quæ in una, & eadem entitate identificatur, sed una suprenatura est prior altera, ex natura rei non potest posterior formalitas conjungi cum priori, nisi præsupponat omnes formalitates, quæ sunt priores ipsâ. Confirm. quia cum ille ordo, quem servant illi gradus inter se sit essentialis, & per se, nequit inverti, sed semper est invariabilis, ergo nequit existentia concipi afficere essentiam, nisi prius supponatur completa, & individua, neque singuli gradus essentia concipi poterunt cum propria existentia, sed omnes, & singuli eadem existentia existant indivisibiliter omnibus, & singulis simul formalitatis superveniente. Quod autem existentia sit immediata, & sua natura singularis, itatè concipi nequeat immediate consistere cum natura communis ut se, sic jam ostensimus supra n. 174. Dices, id probare tantum de existentia totali, & completa, non autem partiali, & in completa huius, vel illius gradus, & quod sicut in gradibus ipsi essentialibus inverti potest, ordo saltem ab intellectu inadæquate concipiente, prius contrahendo genus præ differentias individuales, quam per species, ut ut cum dicitur hoc ens, hoc corpus, hoc animal, ut etiam nos concedimus disp. 5. log. q. 1. art. 1. ita etiam in proposito poterit ordo inverti, ut existentia prius concipiatur conjuncta cum natura generica, quam cum specifica, & prius cum sita, quam cum individuali dicendo animal existens, homo existens, Petrus existens: Contra hoc arguitur ex Doct. loc. cit. quod est per se à toto genere præcedit illud quod est per accidens, sed singularitas per se pertinet ad coordinationem, & seriem prædicamentalem, in fundamentum illius, ac veluti radix arboris prædicamentalis dictum est disp. 6. Log. q. 3. art. 1. existentia vero ad prædicamentum spectat omnino per accidens, ergo non solum servata pro-

proportione existentia partialis est posterior essentia partiali, & existentia totalis essentia totali, sed à toto genere existentia est posterior essentia, tam partiali, quam totali. Deinde non valet assumpta illa paritas de individuâ genericis, & incompletis cum re, de qua loquitur, quia illa individua sunt ab intellectu inadæquate concipiente, ut loc. cit. in Log. explicatur est, at cum existentia intelligatur advenire essentia in suo esse integro, & completo constituta, conjungi debet cum essentia ab intellectu rem adæquate concipiente. Tandem etiam illa paritate concessa non sequitur ab intellectu inadæquate concipiente posse existentiam cum natura communis, ut sic, immediate conjungi, sed tantum cum individuo generico, itatè dicitur hoc corpus existens, hoc animal existens, ergo semper verum est existentiam non advenire naturæ nisi completo, vel saltem incompletè individuatè: oppositum autem contingeret, si darentur diversi gradus existentia, tunc enim concipere possemus quemlibet gradum essentia cum gradu existentia sibi correspondenti præcisa quacunque individuali differentia.

180 Confirmatur adhuc totus præcedens discursus ex didis à num. 174. non sit immediate, & formaliter existentia capax, nisi id, quod potest esse terminus, & effectus productionis, & physice casualitatis, tum quia solum per talem casualitatem communiatur effectus entitas actualis, quæ est existentia, tum quia esse actualè est in ordine ad productionem, & terminus ipsius, tum tandem quia non potest res habere existentiam, nisi prout terminare poterit actionem producentis; sed ut aliquid sit terminus productionis opus est, quod sit individuum, quia gradus universales seorsim sumpti non sunt per se producibiles, sed tantum utuat in singularibus, & de causa dicitur Arist. 1. Met. in proem. actiones esse dumtaxat singulares, & ad singularia tendere, ergo nequit existentia conjungi secundum diversos gradus diversis gradibus essentia, sed necessario supponit existentiam ita in se completè constitutam, ut includat omnes gradus laborantia in gradu entis inchoando usque ad infinitum individualium. Et hæc quidem ratio necesse concludit de essentia comparata ad existentiam actualè, sed etiam possibilem, quia sicut nequit aliquid concipi in se actu existens, nisi prout actu terminavit actionem agentis, vitæ cuius existentiam accepit in rerum natura; ita servata proportione nequit res concipi, ut potens existere, nisi prout potens in se, & immediate terminare actionem producentis.

Præterea probatur idipsum ex eo, quod docet Doct. loc. cit. 2. dist. 3. quæst. 3. nempe non dari propriam coordinationem existentiam aliam à coordinatione essentiarum, quia existentia non habet proprias differentias, quæ sit contrahibilibus constitutivis gradus prædicamentales, quod etiam nos supra docuimus numer. 87. ex hoc, inquam, manifestè de iudicatur, non posse in existentia distingui varios gradus prædicamentales, quia isti gradus intantum distinguuntur in essentia, inquam constant rationibus communibus, & differentialibus, si ergo existentia non habet differentias contrahivas, consequenter neque habebit gradus, qui per illas constituantur. Quod autem existentia non habeat duas differentias contrahivas, præter Doct. loc. cit. ostendit etiam evidentè ratione, quia pluralitas graduum in essentia multiplicat prædicata essentialia, nam ex differentia prædicativa v. g. sumitur gradus substantia, ex differentia corporæitatis gradus corpus, ex differentia sensibilitatis sumitur gradus animalis, & ex differentia rationalitatis sumitur gradus hominis, cum ergo in existentia non funderet istas prædicatorum multiplicatas, hinc clarè deduci debet ipsam carere differentiarum multiplicatis, evidens est, quia de re existente ratio neque existentia aliud prædicari nequit, nisi ipsa essendi actualitas, seu quod actu sit in rerum natura, sed ubi non est diversitas prædicatorum, non est diversitas graduum, ut patet in rationalitate, quæ quia non fundat nisi unum prædicatum, ideo est simplex ratio, & in alios gradus in divisibiles, ergo idem est de existentia dicendum.

181 Denique res omnes adeo conveniunt in eo, quod existant, ut in ipso esse nullo modo differant, quia ita cum ac sunt in actu parte rei, habent totum id, quod ratio differentia habere possunt; ergo non potest existentia importare diversos gradus, sed unam tantum simplicem rationem formalem, quæ sit ratio existentiam afficere diversos existentiam gradus, quæ sit ratio, & humanitatem Petri, tamen eodem modo, si habere respectum omnium, & eam semel præstat effectum formalem facientem do nimirum eos existere, ergo non diversificatur gradus existentiæ, sed diversitas graduum existentia, debet utriusque secundum suum esse formale esse diversis ab alio, & diversim effectum formalem exhibere, quemadmodum contingit in gradibus essentia. Tandem adæquate existentia formalis effectus est afficere essentiam, & omnes eius gradus in actu, nec ad aliud se extendit, nec aliquid amplius fingi potest, quod existentia, præter essentia, statim enim ac intelligitur in actu, intelligitur completè exhibitus, & confirmatur existentia effectus, ergo non possunt in ipsa distingui variis gradus juxta varietatem graduum essentia.

Respondet Oviæd. cit. rationem constitutam rem extra causas,

qualis est existentia, esse indivisibilem intensivè, quia eademmodò formale, non potest magis ostere causas constitutivas, sed extensivè est indivisibilis, quia gradus à dimidi formaliter habent rationes formaliter distinctas inter se, per quas extra causas constituantur, in quæ est divisibilis existentia adæquate, seu ratio constitutiva extrâ causas individuum adæquatè involvens rationes superiores, & inferiores. Contra, quia in hac responsione manifesta committitur petitio principii, hoc enim est, quod impugnat, existentiam nempe non esse divisibilem in plures rationes extensivè, iuxta pluralitatem graduum essentia. Da quia si non est divisibilis in plures rationes existentiæ intensivè, sed solum extensivè, tunc non est major ratio cur gradus genericus existentia correspondat gradui generico essentia, & specifico specifico, ut ipse defendit, quam e contra, nempe genericus specifico, & specifico generico. Probatur consequentia, quia omnes, & singuli existentia gradus, præstant eundem prorsus formalem effectum essendi extra causas, cum non nisi extensivè inter se differant, ergo si nulla alia inter eos differentia reperitur, poterit promissus gradus genericus existentia afficere specifico essentia, & specificus existentia genericam essentia, quia eundem effectum formalem præstat. Imò quia omnes, & singuli existentia gradus eundem prorsus præstant formalem effectum, ex hoc deduci debet non dari hæc graduum diversitatem in existentia, ubi enim non est diversitas effectus formalis, neque etiam potest esse diversitas cause, cum ergo omnes gradus existentia eodem modo ponantur extra causas, neque quod hoc in eis alia cernatur diversitas, planè ex hoc sequitur existentiam esse prorsus in divisibilem etiam extensivè, quia si talis diversitas in ea daretur, itatè importaret diversas formalitates juxta diversitatem graduum essentia, haberetur etiam diversitas in effectibus formalibus existentia.

182 In oppositum arguit Oviæd. probans existentiam divisibilem esse in gradus distinctos correspondentes diversis gradibus essentia, quando concipio animal a parte rei, ut ens actuale distinctum a rationali, quod etiam est ens actuale, concipio tandem distinctionem inter actualitates animalis, & rationalis ac inter animal, & rationale, ergo sicut divido per rationem hominem in animal, & rationale, sic divido actualitatem hominis in actualitatem animalis, & rationalis, atque ita dabitur actualitas animalis præcisa ab actualitate rationalis, & e contra, nec una includit aliam. Confirmatur, ens non præcenditur ex parte objecti a ratione existenti, ergo ex ratione, quæ apprehendit ens, apprehenditur saltem ex parte objecti existentia, quæ ab illo ex parte objecti formaliter non distinguitur, ergo gradus entis propria correspondet existentia. Resp. verè quidem essentiam secundum gradum, quod est esse in actu, ita tamen ut existentia simpliciter, quod completum ex omnibus suis gradibus usque ad singularitatem includit, solum enim in tali statu concipi potest, ut immediate capax existentia, & idoneus terminus physice casualitatis, dixi immo dicitur, quia natura à singularitate præcisa utique ad hæc concipi potest, ut apta ad existendum, non tamen immediate, sed mediante individuo in quo existit, negatur itaque assumptum in argumento, gradus essentia posse seorsim concipi, ut actuales, & actu existentes, sicut enim seorsim sumpti nequeunt terminare productionem, ita nec habere propriam actualitatem, nec eum propria actualitate concipi, & hæc responsio confirmatur, quia formalitates ille animalis, & rationalis non concipiuntur ullo pacto distingui, ut existentes, immò sub hæc ratione omnino conveniunt, tam enim actus a parte rei datur animalitas in Petro, sicut rationalitas, sed solum distinctæ concipiuntur sub specialibus divisi posse actualitatem hominis in actualitatem animalis, & rationalis, sicut homo dividitur in animal, & rationale, & ita bene distinctæ concipiuntur animalis, & rationalis, & rationalis, sicut distinctæ concipiuntur animal, & rationale. Ad confir. saltem est ens præcendere non posse aliquid quod pacto ratione existentia, quia licet modus concipi nequeat sine re, cuius est modus, restat concipi potest non concepto modo, verum quia ad eam dicitur, & perfectam rei conceptionem exigitur etiam quod concipiat cum modo, dico quod cum ens concipitur ut potens existere, non utique concipitur, ut immediate, & secundum se habens talem ordinem ad esse, sed mediante individuo, in quo existere potest.

183 Secundo deinde arguit Averſa loc. cit. quia sicut concipiuntur omnes gradus intrinsecos in individuo non existentis v. g. a trichitici, & quoque ratione distinguntur, ita distinctè concipiuntur eodem modo, quatenus actu existentes in individuo jam productis, ergo non solum ipsa gradus essentia inter se distinguuntur, sed etiam eorum actualitates. Conf. quia neque est verum dicere, Petrus habet suam singularitatem actu positam, hoc est actualem entitatem ipsius humanitatem actu positam, hoc est actualem entitatem ipsius humanitatem actu positam, ergo actualitas essendi in Petro non est veluti quædam forma simplex per rationem, sed quæ sunt gradus essentialis, totentiam meam hæc ratione distinguitur, intelligimus supervenire omnibus gradibus essentialibus, & singulis a partiali existentia affici, alioquin omnes non existèrent. Datum potest omnia affirmare, & scire, hominem v. g. existere, animal existere affirmando ab hoc, vel illo homine, ab hac vel illa animalis specie, ergo ratione distinguitur existentia hominis ab existentia singularitatis, & existentia animalis ab existentia specifica differentia contrahentis.

Rel. ut ad argumentum Oviæd. negando gradus essentia, quatenus existentes re replicativè concipi ut distinctos, quia sub ratione existen-

existentia non fundant diversa predicata, sed omnino conveniunt. Ad Consequens antecedente negatur consequentia, ad probationem dicimus utique omnes, & singulos essentia gradus ad existentiam, non tamen seorsum sumptos, sed prout omnes sunt conjuncti in eadem essentia, quia sic sumpti unum quid tertium constituunt includens omnes illos, quod est spiritum susceptivum existentia, & potest esse terminus immediatus productionis, quod si gradus essentia seorsum considerentur, tunc non habent proximam aptitudinem, ut producantur, & media productione existentiam recipiant, & ideo non potest cum veritate, & fundamento in re concipi, quod aliquis gradus sit actualis, & existens praevis ab aliis. Aultimum neque ipi illo casu conjungeretur immediatè existentia cum sola natura communi animalitatis, vel humanitatis, sed cum aliquo individuo vago, & indeterminato hominis, vel animalis, conereret enim aliquid individuum existens in specie hominis, vel in aliqua alia specie animalis, quia intellectus scit nihil posse esse a parte rei, quod non sit individuum, vel singulare.

184. Tertio arguitur, quia plures res nequeunt per unam existentiam existere, unde in composito physico praeexistens totalem compositi, admittimus etiam existentias partiales materiae, & formae; ergo sic etiam in proposito nostro plures formalitates, & gradus metaphysici per unam existentiam naturae singularis existere, sed gradus existentiae multiplicari debent juxta multiplicatorem graduum existentiae etiam in composito metaphysico. Confirmat si non assignatur haec graduum varietas etiam in existentia, sed est una simplex ratio, & indivisibilis, tunc existentia rerum omnium creaturarum ejusdem forent rationis, & speciei, quod est falsum, quia existentia sequitur conditionem essentiae, & ideo si essentiae sunt diversae, erunt etiam & existentiae. Demum aliqua videmus per se existere, ut substantias, alia vero inesistere alteri, ut accidentia, ergo dari debent diversae speciei existentiae, ac proinde gradus communes, & differentiales correspondentes gradibus essentiae.

Resp. negando paritatem de rebus, & formalitatibus, & de composito physico, ac metaphysico, quia ut constat ex no. 174. res proprie dicitur illa, quae talem habet existentiam, ut propria debeat re correspondere existentia, quia in se, & immediate terminare potest physicam actionem, & ideo quia in composito physico plures adaptatae, ac non in se est de formalitatibus, cum enim non habeant esse per physicam causalitatem, sed per simplicem, & metaphysicam dimanationem, non sunt sufficiens subiectum peculiaris existentiae, sed omnes aequatè existunt per solam existentiam illius rei, cui identificantur, & ad eam integritatem speiunt. Ad confirm. cum ratione existentiae praecise inspicere res inter se non differant, nam aequaliter omnes per existentiam sunt extra causas, nullam inconveniens esse dicere existentias rerum esse ejusdem essentiarum, quae ratione etiam dictum est in Phys. disp. 13. durationem rerum, quam ab existentia ibi non distinguimus, esse ejusdem rationis etiam in rebus speciei inter se differentibus, dummodo eundem habeant permanendi modum cum Scot. 2. d. 2. q. 2. itaque existentia rerum specie diversarum materialiter solum, & fundamentaliter differunt specie, ratione scilicet essentiarum, quae afficiunt, non vero formaliter. Ad ultimum negatur prima consequentia, quia substantia, & inessentialia proprie loquendo non sunt differentiae existentiae, sed potius ipsius essentiae, quod enim res inessentialis, vel substantia non provenit ratione existentiae praecise sumptae, sed ratione essentiae, quia scilicet est talis, vel talis essentia, unde esse talis naturae, ut petat esse in alio est constitutum accidentis, sicut petere esse per se est constitutum proprium, & essentiale substantiae; sed concessa etiam prima consequentia ad huc potest negari secunda, ex hoc enim quod substantia, & inessentialia sint duae speciei existentiae, ut sic, non sequitur esse divisibilem in gradus correspondentes essentiae, quam afficit, sed solum divisibilem esse in gradus illarum specierum constitutivos.

185. Quarto, tandem arguitur hoc non esse de mente Scoti loco cit. 2. d. 3. q. 3. primo quia licet ibi dicat existentiam non habere proprias differentias alias a differentis essentiae, quia tunc oporteret ponere propriam seriem essentiarum aliam a serie essentiarum, affirmat tamen habere easdem, quae habet essentia, & determinari ad determinationem illius, ergo habere potest gradus correspondentes gradibus essentiae, ut dicitur in Lichet. ibidem tenet de mente Doctoris oppositam partem, & assignat gradus existentiae juxta distinctionem graduum essentiae, & naturae communi etiam ut singularitatem praecedit, propriam tribuit existentiam. Confirmat, quia Scot. ibidem lit. B. negat existentiam esse individuationis principium, quia eadem quaestio est de existentia, quo, & unde contrahitur, ut sit haec, quae est de natura, nam si natura specifica eadem sit in pluribus individuis habet existentiam ejusdem rationis in eis.

Resp. Doctorem loc. cit. in fine quaestiones concludere existentiam esse actum ultimum essentiae, & esse posteriorem illa etiam in dividuata, & singularizata, quia hic homo non plus includit formaliter existentiam a dualem, quam homo, atque ideo expresse stare pro nobis, ne autem contradictorius appareat in eadem quaestione, dico, Doctorem illa non asserere absolute loquendo, sed ex hypothesi, aut enim existentiam non habere proprias differentias, & si aliquas habet, alias esse non posse quam differentias ipsius essentiae, si enim animal existens, ut sic, contrahi potest ad hominem existen-

tem, plane non alia differentia contrahetur, quam per rationalitatem quae est differentia contraria animalitati ad humanitatem, sic etiam natura communi existentiam tribuit communem ex hypothesi, quod sit una, & eadem in singularibus per inessentialitatem, quae hypothesis non est vera, ut seq. disp. constat, quia non est eadem, nisi per indifferentiam, necque inivitis ita explicabitur Doct. si eum attendit consideres; nam praecipua ratio, quia ibi negat existentiam esse individuationis principium est illa, quia natura praesupponitur jam individuata ante adventum a dualem essentiae, quia haec est actus ultimus posterior tota coordinatione predicamentali etiam usque ad individua inclusivè, non ergo sentit ibidem gradus partiales existentiae gradibus partiales essentiae vicissim correspondere, alioquin haec sua ratio nihil concluderet, & manifestè sibi contradiceret. Fateor tamen oppositam sententiam non carere probabilitate, ac etiam fundamentum in doctrina Scotica, quia de causa praecelari Scoticae iam amplius sunt, quos qui voluerit imitari, suae relinquatur libertati, dummodo prius curet rationibus nostris satisficere.

QUESTIO VI.

Qualis, ac quanta distinctio versetur inter gradus metaphysicos ejusdem essentiae.

186. Quia rerum essentiae constant ex diversis gradibus metaphysicis, ut praecedenti quaestione tractatum est, cum enim aliquam naturam integram important, & connexionem diversorum praedicatorum essentialium, diversos quoque habent gradus genericos, specificos, & differentiales, quibus inter se conveniunt, vel differunt; videndum est qualis, & quanta distinctio inter eos versetur, qualis quoque sit non de gradibus metaphysicis transcendentibus, quos & conceptus entis, veri, boni &c. cum enim huiusmodi conceptus non sint omnino ex natura rei praecisi a suis inferioribus, siveque contrahentibus, consequenter fundare nequeunt distinctionem aliquam ex natura rei, quae adu inverteat omnem operationem intellectus, ut ostensum est disp. 1. q. 4. & 5. ex professo, unde de hoc puncto praefens difficultas non consistit, sed solum procedit de gradibus in serie praedicationali contentis genericis, specificis, & differentialis, cum enim in hac disputatione sermo sit de essentia entis finiti, locum hic non habent gradus transcendentis, qui tam communes sunt enti finito, quam infinito; insinuat etiam quaestio de gradibus ejusdem essentiae, id est qui in eodem individuo referuntur, quia si comparat gradus rationalitatis, quae sit in homine, cum gradus animalitatis, qui est in equo, certum est apud omnes non inter se realiter identificari, sed omnino ante operationem intellectus ab invicem distinguuntur.

187. Hac igitur praemissa quaestione intelligentia tres opinionis famulae circumferuntur, duae extremae, & una media; prima opinio extrema gradus essentiales distinguit realiter, quia putat illos fundari in diversis formis physicis, ita ut debeant formae physicae multiplicari ad multiplicationem graduum, & praedicatorum essentialium, quae sententia apud Averroistas satis recentis estribuitur enim Aver. in lib. 3. Met. & 1. Met. tex. 17. & proinde sequitur Averroistae passim Jam ad id. 1. de anim. q. 8. & 2. Met. q. 9. Verum 7. Met. Burleus in proem. Phys. & 1. Phys. tex. 4. & pro ex. refert D. Thom. 1. par. q. 56. art. 2. Avicenna in libro suis dicit vitz. Alia opinio extrema inter hos gradus nullam profus admittit distinctionem realem, vel ex natura rei citra opus intellectus, sed solum distinctionem rationis, & per opus intellectus, quam aliqui volunt esse rationis ratiocinantis dumtaxat, & fieri ab intellectu per solas praecisiones formales, adeo ut distinctio attendi debeat potius ex parte modi concipiendi, quam ex parte objecti concepti, ut Nominales, & Neutrales eorum assecia, alii volunt esse ratiocinatio, & cum fundamentum in re; ita quoque fiat ab intellectu per praecisiones etiam objectivas, adeo ut distinctio non praecise attendi debeat ex diversitate modi concipiendi, sed etiam ex diversitate formalitatum conceptuum, & sic passim loquuntur Thomistae; & haec opinio uno, vel alio modo explicata plausibilis esse in scholis Thomistarum, & Nominalium, unde pro ea Auctores sunt penè innumeri D. Thom. loc. cit. & opuscul. 42. & de ente, & essentia cap. 3. & 4. ubi Cajet. Ferrar. 1. contra gentes ca. 24. Capreol. 1. dist. 8. q. 2. art. 3. Hervaeus quoque 1. q. 9. Durand. d. 2. q. 2. Javelle. Met. q. 18. Sonein. ibid. q. 36. Bannes 1. de generatione, & cor. q. 6. art. 7. Averus ibid. q. 3. art. 7. Aver. qu. 1. log. sect. 4. Sur. disp. 6. Met. sect. 9. Hurt. disp. 5. Met. sect. 3. Morian. disputat. 1. log. q. 5. Jo. de S. Thom. q. 2. univers. art. 6. De qualitate som. 1. Metaph. disp. 79. Ariag. disp. 5. log. sect. 1. subsec. 2. Ovid. controversia. Met. pncip. 3. & alii quampures. Tertia tandem sententia est Scoti, & Scotistarum quae mediat inter relatas, quatenus inter gradus essentiales ponit distinctionem formalem ex natura rei, quae mediat inter distinctionem realem proprie dictam, & distinctionem rationis, est enim major distinctio rationis, quatenus non fit ab intellectu, sed actualiter anteverit omne opus intellectus, est autem minor distinctio reali, quatenus ea, quae distinguuntur, formaliter identificantur adhuc in eadem re, ac entitate, ut explicatum est disp. 1. log. q. 5. artic. 2. ac etiam superius disp. q. 1. ex quibus locis nunc supponimus dari talem distinctionem mediae inter distinctionem realem, & rationis, & adhuc ex dicendis in hac quae necessitas talis mediae distinctionis magis constabit; & haec sententiam de-

ferant Scotistae passim Ant. And. 9. Met. q. 7. & 14. Tromb. ibid. q. 4. Faber. theot. 7. c. 4. Canon. 1. Phys. q. 7. & alii ex Scot. 2. d. 3. q. 1. & 69. & 7. Met. q. 19.

ARTICULUS I.

Diversi gradus essentiae non distinguuntur realiter, quia fundantur semper in diversis formis physicis.

178. Conclusio hujus articuli colligitur ex Scoto ubique doctè, qui, in quolibet vivente unam tantum animam reperiri ceteras inferiores continentem 2. d. 1. q. 5. O. & 1. 7. q. un. ad 1. princ. & 4. d. 1. 1. q. 3. R. & 4. 4. q. 1. A. quibus in locis negat in homine tres animas reperiri, unam a qua dicitur vivens, aliam a qua dicitur sentiens, vel animal, & tertiam a qua dicitur rationalis, & homo; quia ab eadem anima rationali ceteras inferiores unitivè, & realiter continentes melius possunt illa omnia praedicata secundum diversas realitates, ut explicatum est disp. de anim. q. 8. non ergo in sententia Doctoris diveritas, & multiplicatio praedicatorum arguit necessariè diveritatem, & pluralitatem formarum physicarum, nisi enim possunt ab eadem forma secundum varios gradus, & realitates ejusdem, ut ibi explicatum est, & adhuc magis explicabitur hic, & art. seq. Et quavis Doct. 4. d. 1. 1. q. 3. in viventibus praeter animam admittit formam mixtionis, seu corporeitatis, non tamen ex hoc capite deducit necessitatem formae mixtionis, sed ex contradictione, quae est in media ratio distinguendi plura sub ente, quatenus, scilicet abeunte anima adhuc remanet corpus, ergo vivens non est corpus per animam, ita se declarat ibidem lit. H. apponit vero dixi gradus essentiae non distinguuntur realiter, quia fundantur semper in diversis formis physicis, quia non inficior, hoc intermedium accidere posse; sicut enim accidit ponendo in vivente formam corporeitatis praeter animam, quia vivens dicitur corpus performans corporeitatis vivens autem per animam, ut notat Scot. 1. dist. 3. q. 3. O. & ut afferat exemplum ab omnibus admittit, in homine concluditur ab omnibus haec duo praedicata, scilicet esse susceptivum quantitatis, & intellectum, quibus primum sumitur a materia, secundum a forma, & eadem enim inter se forant distinctionem, illa duo praedicata, quam habent materia, & forma hominis, scilicet realem, & sicut illae partes sunt realiter separabiles, ita & illa praedicata, & in hoc nulla potest esse distinctio, ut etiam concedit Averroistae loc. cit. 1. dist. 3. q. 3. O.

179. Probanda est itaque conclusio ex ea parte, qua urget difficultas, nimirum ad clarificationem graduum essentiae; & praedicatorum essentialium non necessariè formas physicas plurificari debere, quia tunc Angelo, & quilibet forma accidentaliter erunt entitates distinctae, & formae physicae, quot praedicata de eis dicuntur in quid, consequens autem est falsum, quia tunc in Michaele, v. g. esset una forma physica per quam est substantia, & alia per quam est spiritus, & alia per quam est Michael, & sic esset multipliciter compositus substantialiter, pariter in albedine esset una entitas, per quam est qualitas, & alia per quam est color, & alia per quam est ab eadem non esset forma simplex, ut communiter dicitur, ergo dicendum est per eandem entitatem physicam ab eodem esse accidens, qualitatem, colorem, & ab eodem, & pariter Michaelem per eandem physicam entitatem esse substantiam, spiritum, & Michaelem. Dices conclusionem habere ventum in solis substantiis, non in accidentibus, & rursus in substantiis compositis, non in simplicibus. Contra, non minus essentialiter, & in quid color, & qualitas de albedine, substantia, & spiritus de Michaele praedicantur, quam substantia, & corpus de igne, & aqua, & alii compositis materialibus; si ergo in Angelo, & ab eadem physica illa praedicata sumi possunt ab eodem forma, & in eadem physica entitate fundari, quae sit illimitata ad illa plura praedicata communicanda, idipsum dici poterit, & debebit in compositis materialibus, quae licet imperfectiora sint Angelis, adhuc tamen sunt perfectiora accidentibus, quod addo ad excludendam tacitam responsum, quae dari possit dicendo in Angelis ab eadem physica entitate sumi posse plura praedicata, quia substantia angelica perfectior est substantia composita. Dices forte etiam in accidentibus multiplicari formas ad multiplicationem graduum essentiae. Haec solutio ab omnibus recitatur, quia de ipsa albedine quaeritur praecisa, quomodoque alia entitate realiter distincta, an tribuat esse coloris, nec ne, si tribuit esse coloris, ergo iam plures gradus ab entitate sumuntur, si vero non tribuit esse coloris, sequitur, quod ab eodem non sit color, & quod non possit color in recto de albedine, nec ne, non sit eadem albedine praecise sumpta quae praedicatur. Tum quia de eadem albedine praecise sumitur, an dicat iniviscam de eadem praedicationem ad substantiam, in quo sustentetur, nec ne, non secundum, quia tunc esset substantia, non accidens, si primum esset intrinsecè, & secundum propriam entitatem erit accidens, & sic ab eadem entitate sumetur gradus genericus, & specificus. Verum licet haec impugnetur rectè procedat in sententia negata in universum pluralitatem formarum in composita, tamen in nostra eam admittente in viventibus pariter insistantia, quia ibi etiam argui possit, quod homo non sit essentialiter, ac quidditative corpus, si non est corpus per eandem formam, per quam est homo, sed per aliam diversam; quae ideo illa responsio potius impugnetur de re probando, quod accidens non sit ens compositum ex materia, & forma, sed forma simplex ex Doct. 8. Met. q. 1. & Ant. And. ibidem q. 5. adhuc tamen in proposito impugnetur potest insistantia adducta de pluralitate formarum in viventibus, quia ibi distincta productione,

& à distinctis agentibus in homine producitur corpus, & anima, & rursus distincto interitu corrumpuntur, & desinunt, & anima recedente, adhuc remanet corpus, unde à posteriori concludimus ibi pluralitatem formarum in compositis animalibus, quod quidem in accidentibus non censetur, quoniam unica productione ponuntur in esse accidentis secundum omnia sua praedicata, & pariter unum interitu dilabuntur, & ideo oppositum in ipsis concludere debemus.

180. Secundò principaliter contra hanc opinionem militat argumenta, quae contra nos facit Aureolus, quia si gradus genericus esset realiter distinctus à differentis, tunc transmutari posset de una differentia specifica in aliam, quia quando res potentialis, & prior respicit plures actualitates oppositas potest illam saltem Deus de una transmutare in aliam, ut constat de materia habente potentiam ad oppositas formas, non enim alia ratione materia sub forma transmutari potest, nisi quia respectu illarum se habet ut potentia, & ab eisdem realiter distinguuntur, ut satis de se patet, & ratio hujus est, quia omnis realitas absoluta prior alia, & ab ea realiter distincta, potest transmutari ab illa, quia non dependet ab illa, ut Doct. ibi concedit ad 1. q. 2. art. 2. dari genus sine differentis propriis implicat 2. Met. c. 16. & 3. Met. c. 2. eum quia sequetur, quae à animalitas hominis potest fieri animalitas leonis, & potest perire rationalitas absque eo, quod periret animalitas; sic etiam eadem profertur generica accidentis modo feret calor, modo frigus recipiendi successivè hanc vel illam differentiam, & sic etiam posset corrumpi ratio albedinis remanente ratione coloris; & quidem haec consequentia patet, posita enim reali distinctione inter hos gradus sequitur unum gradum essentialium posse produci, & corrumpi sine alio, quemadmodum delectui potest forma, seu figura non destructa materia, seu quantitate, & in nostra sententia delectui anima, remanente corpore pro altera parte compositi. Tum quia tunc unum quilibet gradus distincta a dione ab alio produceretur, sicut forma a quibus desumuntur, & sic accidens, anima rationalis, & Angelus pluribus actionibus produceretur, & similiter distinctis corruptionibus desinenter, ut constat de anima, & forma corporeitatis. Tum tandem quia quicquid est a parte rei ab alio realiter distinctum, debet esse in aliqua specie determinata completa, vel saltem incompleta, quemadmodum nos asserimus de corpore pro altera parte compositi in animalibus, & inferioribus, sicut haec praedicationibus superioribus, & inferioribus, siquidem gradus genericus nequit esse in specie infima.

181. Tertio. Deinde ostendo etiam Adversarios plura praedicata metaphysica ab eadem entitate physica alpicari, nam si juxta diversitatem praedicatorum, quae igni v. g. conveniunt, multiplicari debent entitates, & formae; certum est huiusmodi formas debere esse subivincem subordinatas per modum actus, & potentiae, ut constituant existentiam ignis per se unam, alioquin ex eis non fieret unum per se; ergo in materia ignis forma quae dat primum gradum genericum v. g. substantia est actus substantialis respectu materiae, quam informat; quia vero uniri debet cum alia forma, quae dat gradum inferiorem, scilicet corpus, opus est ut respectu illius habeat rationem potentiae, alioquin cum ea non faceret unum per se, ergo iam in eadem forma, ac physica entitate geminantur, & plurificantur gradus essentiae, nempe ratio substantiae, ratio actus, & ratio potentiae. Quod si dicas entiam juxta hos gradus formas physicas plurificari debere, plane vel dabitur processus in infinitum, vel tandem ad aliquam entitatem deveniendum, quae simul sit actus, & potentia. Imò hoc idem argumentum de materia prima, & ipsius ignis urgeri poterit, quia ipsa est ens, est substantia, & essentialiter potentia, haec quoque omnia praedicata includit, ut esse subiectum primum illarum formarum, & ergo iam plura praedicata in ipsa materia prima sumuntur ab eadem physica entitate. Quod si rursus dicas etiam juxta hos gradus formas physicas plurificari debere, ergo illa entitas non erit materia prima, primumque subiectum omnium formarum, sed alia anterior entitas de qua rursus idem poterit fieri argumentum, & sic vel in infinitum abibimus, vel tandem erit in aliqua entitate sistendum, quae secundum se sit ens, & substantia, & primum subiectum omnium formarum.

182. Quarto tandem, & est quasi ratio a priori, non repugnat plura praedicata in unam integram entitatem coadunari, & identificari; ergo non necessariè diveritas praedicatorum arguit diveritatem formarum, unde sumuntur. Probatur assumptum, quia in Deo plures perfectiones in unam simplicissimam entitatem coadunantur, & ab eadem plura, ac diversa praedicata sumuntur. Dices ibi coadunari in eadem entitate omnes eius infinitam perfectiones, ratione cuius habet Deus, ut realiter, ac identicè includat quaequid sibi convenit, ut Scot. ostendit quod 5. quare in creaturis ratione limitationis ad suadanda plura, ac diversa praedicata, necessaria erit formarum pluralitas. Contra, quia non est repugnantia ex parte praedicatorum, ut importat diversas perfectiones, neque ex eo quod sint rationes limitatae, ergo ex nullo capite necessaria erit formalis pluralitas. Probatur assumptum quoque secundum partem, nam quoad primam faciem se patet, quia ut notat Doct. 1. d. 3. q. 4. ad 1. princ. & 2. d. 3. q. 6. sub L. quavis limitatio impeditur in gradus superior, & inferior in unam coeant entitatem, si secundum se praecise sequuntur, non tamen obstat, quia possunt convenire simul in aliquo tertio constituto essentialiter per ipsos, & sic sunt eadem unum tertio sunt eadem inter se ratione illius tertii, quod autem hoc sit possibile, probatur, haec enim praedicata, quae se habent,